

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Dedicatio ex editione Rutilii Lupi

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1660](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1660)

# DEDICATIO

EX EDITIONE

RUTILII LUPI.

---

VIRO NOBILISSIMO,  
FRANCISCO FAGEL,  
PRAEPOTENTIUM ORDINUM BELGII  
FOEDERATI GRAPHIARIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

*S*aepe numero in illius temporis jucundam sane memoriam redeo, quo Tibi siue comes, siue dux erant ad Graecas literas cognoscendas. Veneras ad nos supra aetatem Latine doctus, Latinorum imprimis poetarum flagrantiore studio, quam quod expleri et scitari legendo posset. Verum cum Patri Tuo, cujus sapientiam in maximis reipublicae causis spectatam tanta exornat ingeniarum artium scientia, quantam vix credibile sit in vita tam occupata comparari potuisse; cum igitur Patri Tuo credidisses, vim et venustatem Virgilii, non nisi cognito Homero, Ciceronis, non nisi Demosthene, penitus percipi posse: nihil antiquius habuisti, quam ut Graecas literas conjungeres cum Latinis. Itaque una legebamus ingeniorum principem, Homerum, eique, ut Atticam etiam elegantiam et suavitatem gustaremus, Xenophontem

ad:



adjungebamus. Qua lectione confirmati non dubitabamus ad grandem, et Homero in dispari genere similem poëtam, Sophoclem, et dulcem subtilemque de scena philosophum, Euripidem accedere. Tum vero, qualis in Te materia et indoles esset, intelligere coepi. Nihil dicam de docilitate, qua intra biennium consecutus es hoc, ut, qua facilitate Cornelium et Racinium, eadem Sophoclem et Euripidem legeres. Majorem admirationem mihi movebat vis judicandi, quae in locis dubiis et obscuris cernebatur, inprimisque acerrimus pulcri et veri sensus, quo, saepe magistrum praecurrens, ante latentes veneres deprehendebas, quam ipse earum demonstrandarum locum habuissem. Ex his et aliis, quae prodebas, excelsae indolis argumentis jam tum augurabar, talem Te, qualis nunc es, futurum, et saepe alios loci Tui juvenes moncbam, in te intuerentur, de Te sibi exemplum sumerent, qui, quamvis natalium splendore, fortunae opibus, majorum meritis facile ad amplissimos honores aspirare posses, tamen in optimarum artium studiis ita versarere, ut nihil Tibi praesidii in illis relictum esse, omnem ornamentorum spem in ingenii cultu et virtute sitam existimares. Decursis deinde, pari cum laude, graviorum disciplinarum spatium, iter per cultiores Europae partes instituisti. Hic prima, sicut debuit, Tibi cura fuit, ut regum principumque artes in continendis civitatibus cognosceres, et ex variorum populorum moribus, legibus, institutis caperes, quod aliquando ad utilitatem patriae transferres. Nec tamen frequentior eras in aulis, quam in bibliothecis, aut magis pur-



puratos, quam doctrina et ingenio claros, appetebas. Inprimis autem proprio quodam studio rapiebaris ad priscarum artium miracula, quibus Italia referta est, contemplanda; quae majorem, quam vulgus credit, cum humanioribus literis cognationem habere, minime omnium ignorabas. Et eras intelligentissimus talium operum iudex, qui oculos exercitatos domo attulisses. Hoc iter praeclari operis tanquam perpolitio fuit. Reverso Tibi in patriam praemia, quantae virtuti et doctrinae tribui possunt maxima, tributa sunt, et tributa maturius, quam cuiquam tali aetate contigisse, aut meminimus, aut in patriis annalibus legimus. Non enim adscendisti, ut ceteri, sed evolasti ad summos in republica honores; ut, adolescens cum sis, mirere, Te annis tantum Patri cedere, non amplitudine et dignitate. Ita consecutus omnia, quibus felicitas humana censetur, in maxime raro hominum genere merito numeraris. His vero ornamentis Tuis quantopere Musae gaudeant et triumphent, per occasionem Rutilii Lupi in lucem revocandi, me interprete, Tibi, Vir nobilissime idemque eruditissime, declarari voluerunt. Et quidni sensus animi proferant in tam justis laetandi causis? Etenim, quae suis Te manibus finxerunt, Tecum habitant, Tecum peregrinatae sunt, nunc in idem fastigium Tecum escenderunt. Antea sibi timebant a barbarie et superstitione. Nunc, Tuo praesidio fretae, quos hostes fugiebant, fugant. Antea saepe nobilium hominum dictis vellicabantur. Nunc ad nominis Tui mentionem scurrilis dicacitas obmutescit.

Quod-

Quodsi etiam optantibus sibi sic ceciderit, ut, quam  
sui tutelam nunc privato consilio sustines, eam ali-  
quando publica auctoritate sustineas, nihil sibi ad-  
summam felicitatem deesse iudicabunt. Haec Tibi Mu-  
sarum nomine significanda fuerunt. Vale. Scribe-  
bam Leidae. a. d. xx. Junii MDCCLXIII.

L E C T O R I

Non fortissimum esse, nihil in scholis docere,  
sed puerorum maxime. Quorum exemplis, qui-  
bus iudicanda iudicandaque plus ad eloquentiam pro-  
ficere, quam quodam Rhetorum praecceptis cogno-  
scere, hanc aequam vim habent, ut, ut  
is transierit alia, cum in iura eorum peruenit,  
Rutilio tamquam aequo imperatoris. Quibus ex-  
emplis multum comendari necesse est, ut, ut  
non solum decepti, sed et ostentibus, qui magnum  
partem iudicandi, sed etiam de Graecis sic iura  
Iulius, ut Rutilio, non Cicero, domi iudicis  
sancit ridere horis, certasse videtur. Minime  
illa illi bona, operum non minimum hoc est, quod  
pura aequitas et magnum sibi sequuntur iudicis  
quam in alio veterum librorum, cum praeis iudicis  
pugna, tunc scimus, sed de iure libello dico-  
dum aequitas, et magnum sibi sequuntur iudicis  
iudicis, primum de auctoritate, de Graecis sic iura  
decepto, Rutilio dicimus.  
A Graecis scriptum hominum esse, iudicis iudicis,  
que in antiquis exemplaribus haec est: A. Rutilio  
decepto, Rutilio dicimus, et haec de Graecis sic iura